



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Qvae Est Ratio Diversitatis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

ἕως τῆς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὐτως ἐκ τῆς ἀκαταίτητης καὶ ἀεμιόδότητος τοῦ πατρὸς ἕγχεμα, εἰ καὶ μὴ ἦσαν πάντα, κατὰ τὴν ἰδίαν.

## DE DISCRIMINE IDIOMATVM.

DISCERNENDÆ sunt appellationes, quæ significant proprietates naturalium, & appellationes officij. Vt. propria sunt humanæ naturæ, pati, vulnerari, mori. Propria autem diuinæ naturæ sunt, esse omnipotentem, esse immortalem. Sed nomina officij sunt, Mediator, Redemptor, Saluator, Sacerdos, Rex, Pastor. Hæc nomina officij competunt personæ, non tantum humanæ naturæ. Quamquam iusti actiones quædam sunt in natura humana propriæ, vt dolores carnis & agones in passione: tamen missio filij sic ab initio Ecclesiæ, filius perpetuo adest Ecclesiæ, patefacit promissionem, colligit & legitur Ecclesiæ, & vult illam suam obedientiam, est intercessor, propitiator & saluator, propter illam futuram obedientiam, quæ est personæ, postquam assumpsit naturam humanam. Nec missio & obedientia tollunt æqualitatem potentie, sicut expresse inquit Cyrillus.

Hinc modi loquendi considerentur. Verissima est propositio: Natura diuina non vulneratur, non moritur. Et rursus verissima sunt propositiones, cum de Christo loquimur: Christus est vulneratus, Deus est vulneratus, Deus est mortuus.

## QVÆ EST RATIO DIVERSITATIS?

RESPONDEO. Propositio in abstracto significat naturam secundum se consideratam, ideo necesse est dici: Natura diuina non moritur. Propositio in concreto significat personam, seu substantiam seu ὑφιστάμενον, vt, Deus est homo. Christus est mortuus. Deus est vulneratus. Deus est mortuus. Hæc propositiones veræ sunt communicatio e idiomatum. Est autem communicatio idiomatum, prædicatio, in qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur personæ in concreto, quia hæc duæ naturæ, λόγος, & natura assumpta, sunt vnum ὑφιστάμενον.

## ARGVMENTVM.

Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

Saluatio hominis est opus ad extra.

Ergo non aliter fit per Filium quam per Patrem & Spiritum sanctum.

RESPONDEO. Vera est hæc regula: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, sed seruata cuiusque personæ proprietate. Filius & Spiritus sanctus mittuntur. Pater non mittitur. Et acriter Pater est efficax, sed per Filium & Spiritum sanctum. Filius interuenit